

jura Reip.^{ce} et nihil attulit, quid esset amplius expectare, nisi illos in peccato eorum confovere, ne dicam cum illis in illo participare, et postquam Sanc.^{tas} vestra intendit hodie declaratoriam ferre, seu novum terminum 24 dierum prefigere non est amplius cunctandum, sed in causa Dei et ecclesiae ad ulteriora procedendum, et Deus ipse benedictus qui videt bonam mentem Sanc.^{ti}s Vestrae et quod non ex aliquo affectu particulari, sed ob jurisdictionem ecclesiasticam tuendam, et ut Venetos a peccatis eorum amoveat, ipse movetur, ipse succurrat.

De Monte. Causa Dei et pro libertate ecclesiastica agi dixit, Sanc.^{tem} Suam bene statuisset dixit et approbavit.

<i>Parravicinum</i>	} non potui audire quid dixerint, eos tantum laudasse, approbasse et assentisse audivi ab aliis.
<i>Platum</i>	
<i>S.^{ti}s Georgii</i>	
<i>Farugium</i>	

Bandinus talem occasionem initio Pontificatus Deo gratias agendas, quod dederit; sic enim potuit Sanc.^{tas} S. immortalem sibi famam comparare, et libertatem ecclesiasticam et jurisdictionem pene collapsam restituere; quare assensus est et omnia approbavit.

Baronius (1). Duplex est B. P. ministerium Petri pascere et occidere. Dixit ad eum Dominus: pasce oves meas, audivit Petrus de coelo vocem, occide et manduca; pascere oves, est curam gerere obsequentium christianorum fidelium mansuetudine, humilitate, ac puritate oves et agnos praeseferentes: cum vero non cum ovibus, ac agnis negotium sit, sed cum leonibus et aliis feris animalibus refractariis et adversantibus agendum est, iubetur eos Petrus occidere, obsistere scilicet, pugnare et expugnare, ne tales sint penitus; sed quod hujusmodi occisio non esse debeat nisi ex summa charitate, quod occidit, praecipit manducare, nempe per christianam charitatem intra sua viscera recondere, in se ipsum unire, ut sint simul unum et idem in Christo, quod dicebat apostolus: Cupio vos in visceribus Jesu; sic igitur non est occisio ista cru-

(1) È a ritenersi che il discorso del Baronio, di cui citammo alcun passo a pag. 44, sia stato in senso metaforico e figurato, ma il fanatismo o l'ignoranza poterono opportunamente valersene a colorire i loro pravi e scellerati disegni, come indicammo a pag. 75.